



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 1. Quis Minister Sacrificii Missæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacrificio Missæ. Cap. I I. 229

Ministri, sed eorum successores in officio Sacerdotali, quod pari autoritate administrabant qua prædecessores: at in lege Evangelica, Christus solus est principalis Sacerdos, qui semper actu offert Sacrificium ubicumque offeratur; & qui Sacerdotum nomen, & munus habent, non sunt Christi successores, neque illud exercent proprio nomine, neque eadem cum Christo autoritate, sed solum *Pro Christo legatione funguntur*; ut ait Apostolus I. ad Corinth. cap. I.

Et ut ait Divus Thomas: *Sacerdos consecrat hoc Sacramentum, non virtute propria, sed sicut Minister Christi in cuius persona consecrat hoc Sacrificium.* Denique Concilium Florentinum in Decreto Unionis. *Sacerdos in persona Christi loquens, hoc Mysterium conficit.*

D. Tho. 3. P.
q. 82. art. 10

C A P U T I I.

*De Ministro Sacrificii Missæ, & de
Dispositionibus ad illud requisitis.*

Quæst. I. **Q**UISNAM est Minister Sacrificii Missæ?

Resp. Sacerdos solus est Minister legitimus Sacrificii Corporis, & sanguinis Christi Domini, quod in Altari offertur, ut patet ex variis Ecclesiæ Conciliis. Nicæno, in quo legitur: *Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam & civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant: hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi Sacrificii potestatem non habent, his, qui offerunt Corpus Christi, porrigant.* Ex quo patet, quod Diaconi, qui primi sunt Ministris

Conc. Nicæ-
num. Can. 14

post Presbyteros in Ecclesia, non habent potestatem offerendi Sacrificium.

Conc. Trid.
sess. 21. De
Sacrif. Missæ.
Can. 2.

Et Concilium Tridentinum ait: *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, alique Sacerdotes offerrent Corpus & sanguinem suum, anathema sit.*

S. Cypria.
Epist. 63.

S. Cyprianus ait: *Nam si Jesus-Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & seipsum primum Sacrificium Patri obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur.*

Ex quo patet, solum Sacerdotem esse legitimum Ministrum Sacrificii Missæ, quod Dominus noster Jesus-Christus instituit præcipiendo Sacerdotibus, ut illud offerrent in sui memoriam.

Quæst. 2. Omnes Christiani debent-ne offerre Sacrificium Deo?

Resp. Cum duplex sit Sacrificium, interius scilicet, & exterius: certum est quod Sacrificium interius, quod in integra & universali oblatione quam Deo exhibemus in cordibus nostris consistit, non solum offerri debet à Sacerdotibus, sed etiam ab omnibus fidelibus, qui quantum in ipsis est profitentur hoc modo supremum creatoris dominium. At Sacrificium Religionis exterius, quod peragitur ad solemniter repræsentandum Sacrificium internum, perfectamque erga Deum subjectionem, quodque nihil aliud est, quam Missæ Sacrificium, non debet, neque potest visibiliter & externo ministerio offerri, nisi à Ministris ad id specialiter deputatis. Debent quidem omnes Christiani corde, & voluntate cum Sacerdote uniri,